

ut eo melius possumus exponere, dicendum prius de reliquis proportionum speciebus. Est itaque, ut cum B. WENDELERO loquamur, proportio Geometrica, cum numeri ita progrediuntur, ut, quoties primus eorum continetur in secundo, toties tertius contineatur in quarto, & quartus in quinto, & sic porro, qualis progressio datur in his: 3, 9, 27, 81: uti enim se habent 3 ad 9, ita se habent 27 ad 81; Proportio vero Arithmetica est, cum plures coordinantur numeri, atq; inter se conferuntur, inter quos eadem est excessus differentia. Ita aequalis differentia intercedit inter hos sequentes numeros: 3, 6, 9, 12, 15. His nunc praelibatis non abs re dicimus, inaequales numeros esse referendos ad Geometricam, aequales vero ad Arithmeticam proportionem. Omnes enim numeri, in quibus proportio est occupata, aut sunt aequales, aut inaequales: Si sunt aequales, adeo, ut nullus alterum differentia excedat, tribuendi erunt Arithmeticae; Si vero inaequales, inter se invicem sunt conferendi & ita adaequandi, qua ratione adscribendi sunt Geometricae proportioni. Inquis forsan: Datur tertium, ubi numeri qua partem aequales, qua partem vero inaequales sunt: Ubi respondemus negando: Quousq; enim numeri sunt inaequales, eousque pertinent ad Geometricam; Quousque vero numeri sunt aequales, ad Arithmeticam proportionem spectant. Procul itaque a nobis absit figmentum illud PLUTARCHI, proportio scilicet Harmonica seu Musica, quae, qua occasione fuerit orta, de eo conferri potest citata RACHELI Disseratio th. XXVI.

V. Praesupposito itaque, omnem justitiam particularem consistere in aequalitate, quae vel a personarum, vel a rerum aestimio dependet, nunc investigandum, qua ratione in distributiva Justitia ea sit invenienda. Haec, cum pro Objecto, uti jam supra expositum, habeat res externas communes, tum bonas, tum malas, distribuendas inter eos, qui ejusdem sunt societatis, optime porro exponitur, si constituatur certa & communis mensura, juxta quam res cum re, persona cum persona comparetur, ac cuilibet, *quantum ipsi debetur, tribuatur. Talis mensura, docente DURRIO, est dignitas & indignitas, ita, ut si persona sit dignior & plus utilitatis ad conservationem societatis contulerit, plus etiam utilitatis in eam vicissim redundet; sin minus de eadem merita sit, minus etiam commodi participet, atque adeo, sicut se habet persona ad personam, ita se habeat res ad rem.* Quae si observentur, necesse sequitur, applicandam h.l. esse analogiam seu proportionem Geometricam, non tamen eo modo, uti a Mathematicis

maticis